

liandæ misericordia refero. Adsequentur, florente te, Cæsar, quos deris honores. interim Q. Hortensi pronepotes, diui Augusti alumnos ab inopia defende. Inclinatio senatus^a incitamentum Tyberio fuit, ^b quo promptius aduersaretur, his fermè verbis vñus: Si quantum pauperum est, venire huc, & liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exatiabuntur, Respublica deficiet. Nec sānè ideo à maioribus^c concessum est egredi aliquando relationem, & quod in cōmune conductat loco sententia proferre, vt^d priuata, negotia & res familiares nostras hīc augeamus, cum inuidia senatus & principum, siue indulserint largitionem, siue abnuerint. Non enim^e preces sunt istuc, sed flagitatio intempestiuæ quidem, & improuisa: cūm aliis de rebus conuenerint patres, consurgere, & ^f numero, atque ætate liberūm suorum^g vrgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac, velut^h perfringere ærarium; quod siⁱ ambitione exauferimus, per sceleram supplendum erit. Dedit tibi Hortale diuus Augustus pecuniam,^k sed non^l compellatus, ^m nec ea lege vt semper daretur. ⁿ Langescet alioqui

O B S E R V A T I O N E S.

^a Tanta est in quibusdam prauitas, vt ijs, qui ipſorum opem implorant, hoc promptius aduersentur, quò maiorem ceterorum inclinacionem in eam rem, qua de agitur, vident.

^b A principe siquid tanquam ipsius vnius munus petitur, facilius impletatur, quam si illud beneficium non ipsius solum, sed & aliorum videri posset. Sic Tiberius cùm videret fore, ut Hortalus nō tam sibi, quam senatu acceptum relaturus esset, siquid ei benignè fieret, huic petitioni aduersatus est; nempe, vt intelligeret omnes (id quod ipse scripsi volebat) sūt vnius autoritatem pluris esse, quam unius si senatus. Hinc colligi & illud potest, quod sapientia adnotauit, sepiusque inculcadum videtur, vt siue de publicis rebus, siue de priuatis, siue a principe confugi student, id ita petant, vt vnius se trahant. Aduentus & illud priuata, vt, siquid a principe confugi student, id ita petant, vt vnius ipfius, neque cuiusquam aliis beneficium videri posset.

^c More maiorum licet aliquando egredi relationem in senatu, ijs de rebus, loco sententie verba facere, de quibus non erat relatum ad senatum, si modò ex erant, quæ in commune conducerent.

^d Senatores, si que omnes, quibus publica munia mandantur, sciant se non ideo eum locum obtinere, vt priuata negotia, & rem quisque suam familiarem augear, sed vt, quicquid aut loquitur, aut agit, in eo semper publicam spectet utilitatem.

^e Aliud est precari, & aliud, intempestiuæ, & improuise aliquid efflagitare.

^f Numerus, & tenera aetas in aliqua familia non sunt parua incitamenta misericordia.

^g Is alicuius modestiam sua postulatione vrgere dicitur, qui nec loco, nec, quo debet, tempore, petet; aut certi ita petit, vt, non petere, sed impudenter efflagitare videatur.

^h Illi verè possunt appellari perfractores ærarii publici, qui nullum ob meritum, sed sola audacia freti, & impudentia, ita a principibus pecunias petunt, eorumque modestiam adeo vrgent, vt, tādem quod impudenter petunt, violenter extorqueant.

ⁱ Plerunque accidit, vt, qui ambitione ærarium exauferit, illud postea per sceleram supplere cogatur. ita qui sua prodigerunt, aliena creptum eunt.

^k Ea demum vere liberalitas appellatur, quæ proficiuntur a non compellato.

^l Multa principes vltro largiuntur, quæ compellati fortasse non largirentur.

^m Qui semel vltro, ac sponte est liberalis, non obligavit se, eo facto, ad semper dandum.

ⁿ De mendico (vt est apud Plautum) male meretur qui ei dat, quod edit, aut quod bibat, nam & illud, quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miseriā, planisimè. nam si semper ei des, langescet industria, intendetur socordia; siquidem is nullum habet ex semet, aut spem, & securus aliena sub fidia expectabit, sibi ignauis, ceteris grauis.